



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 18. Hominis malitia cum Numinis misericordia collata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)



presumpsit. Hoc dicit sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Itaque & Alfonsus grandem superbiam ardenti pœnitentia luit, calidis lachrymis eluit. Quæ quid apud Deum valeant, vel in ipsa quoq; ostensum est tempestate. Dum enim ipse inciperet animo conteri, incipiebat cessare tempestas; & quantò ipse altius ingemiscebat, tantò semper magis cœlum tranquillabatur: nec ipse antè à fletu & eulatu desistebat, quàm procellosa cœli rabies penitus conquiesceret. Ita Deo, sibi, sed nunquam ampliùs regno redditus, vsque ad mortem pœnitens perseueravit; quam & piè Hispali obiit, veniâ obtentâ, nunquam eam obtenturus, nisi Deum tam misericordem haberemus.

**XVIII.**    Ite enim, mortales, & bonitatem Dei, cum  
**HOMINIS**    superbiâ, malitia, & obstinatione vestra com-  
**MALITIA**    parate. 1. Afficit vos ille innumeris quoti-  
**CVM NV-**    die beneficijs; vos, quos tanquam luporum  
**MINIS MI-**    catulos alit, illum quotidie afficitis innumeris  
**SERICOR-**    tam benè meritum iniurijs. 2. Est in illo in-  
**DIA COL-**    finita sapientia; & huic se stultitia vestra  
**LATA,**    audet anteferre? 3. Benedicit ille vobis; vos  
                   mille blasphemias & maledictiones in cœlum  
                   iactatis. 4. Immittit ille aduersa, vt corri-



gat; vos ipsa castigatione euaditis deteriores. 5. Monet per mōrbos, per infamias, per clades bellicas, per mōrtes aliorum; vos hæc omnia nihil ad vos pertinere arbitramini. 6. Mittit ad vos Angelos, mittit homines; monent parentes, monent magistri, monent Confessarij, monent Concionatores; ridetis eos, traducitis, eijcitis; sunt fabula mensarum. 7. Quid tandem debet huic *vi-* *uee* *facere* Deus? Post tot monitiones, in vna ciuitate tanta crimina perpetrantur, superbiæ, ebrietatis, blasphemiarum, luxuriarum, vt mirum non esset, si, ob illa sola, totum Mundum perderet iustus iudex. Quid ergo miramur, si è cathedra fulminat Ecclesiastes? cui dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo mea scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Si mihi, si mei similibus contingit, quod Eremitæ contigit; verendum est, ne Deus ad vltima veniat remedia, ne fulmen vibret; ne excindat impietatem; & fortasse jam res in eo est. Nam & sua bellis *fulmina* esse, *Scipiade* docuerunt. Nonne audistis tonitrua, nonne fulgura micuerunt? Fulmen vicinum expectatis? Nec illud deerit. Vel per hoc finite à peccatis, à consuetudine mala, vos

Isa. 5. 47

Isa. 58. 1.



deterreri, & ad pœnitentiam tandem vnus-  
 quisque confugiat. Quantò quisque vehe-  
 mentiùs de Deo offenso dolebit, tantò citiùs  
 tempestas hæc desæuiet. Quòd si qui sunt  
 ipso *Alfonso* obstinatior, & neque vestibus  
 suis, & amicis suis, & operibus suis amissis  
 respiscunt, aut ad pœnitentiam confugiunt,  
 expectent vltimum illud, & omnium ter-  
 ribilissimum fulmen: *Discedite à me*  
*maledicti in ignem eter-*

Math.  
 23. 41.

num.

